



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

3. Quis censuram ferre potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

non ipso facto seu delicto; sed, sicuti alia pœnæ per Iudicis sententiam infligi debet.

Censuram latæ sententiæ iudicant verba illa; Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus, excommunicationi subiaceat, prohibemus sub Excommunicatione ipso facto incurrenda.

Excommunicatio ferendæ sententiæ his verbis significatur; Qui hoc fecerit, excommunicetur, prohibemus pœna Excommunicationis.

Si verba ambigua, potius iudicari debet Censuram sententiæ ferendæ, quam latæ, iuxta reg. 49. in 6. *pœnis benignior faciendæ est interpretatio*, exempli gratia excommunicatus sit, anathema sit.

C A P. III.

Quis Censuram ferre possit?

1 **O**Mnis & solus Prælati Ecclesiastici censuram ferre potest in subditos, quam facultatem Clerico alteri delegare non prohibetur. Ratio Conclusionis est, quia omnis potestas Ecclesiastica foris tertii ordinatur ad Christianam disciplinam servandam per leges, præcepta, sententias: hæc autem potestas infirma & inermis foret, nisi contumaces propositis pœnis ac censuris coercere & ad obedientiam compellere possit.

2 Laicis & Clericis coniugatis, dnm in Coniugiis viuunt, itemq; bigamis committi non potest facultas censuras ferendi, etiam si seruiant Ecclesiæ, tunc iurisdictionis non sunt capaces. Ratio, quia *Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent.* c. decernimus, de iudiciis. Censuræ a. ad Ecclesiasticam & spiritualia clauium potestatem pertinent. Potest tamen potestas talis committi tum prædictis ex plenitudine potestatis Papalis.

Fœminæ quamuis sanctimoniales sit & Abbatif- 3
sæ censuras propriè ferre non possunt, iuxta 1. ad
Cor. 14. Mulieres in Ecclesia taceant. Possunt tamen
priuatim suas exhortari, & tanquam filiabus bene-
dicere, in matutinis Euangelium legere. Prob. Con-
clusio, quia iuxta Auilam, Excommunicatio & aliæ
Censuræ pertinent ad potestatem Clauium: hæc au-
tem à Christo solis Apostolis & successoribus eorum
data est.

Non videtur tamen fœmina huius potestatis om-
nino incapax ex iure diuino, sed solum Ecclesiastico.
nam licet nunquam factum, neque deceat, tamen
iuri diuino absolute non repugnat. Quod attinet ad
potestatem clauium, notandum est, duplicem esse
clauem, Ordinis, & Iurisdictionis: Illius incapax o-
mnino est mulier, secundum Christi institutionem,
huius autem capax esse potest, saltem ex commissio-
ne, & quoad exercitium; sicuti & merè laicus capax
est: cum tamen Apostolorum successor cenferi non
debeat, quamdiu extra Clerum constitutus est.

Abbatissa, licet spirituales iurisdictionem pro- 4
priè non habeat, vsus tamen cuiusdam iurisdictionis
ei committi potest; saltem indirectè propter peri-
culum cohabitationis virorum, vt si prouincialis cū
Moniali dispense in lege ieiunii, sub conditione re-
lata in arbitrium Abbatissæ, quamuis ipsi visum fue-
rit causam ieiunandi non adesse.

Accedit, quod Abbatissæ non quidem iure ordi-
nario, sed ex Apostolicæ Sedis Priuilegio cum Capi-
tuli sui consensu, conferre possint beneficia, & insti-
tuere Clericos in Ecclesiis ad suum Monasteriū per-
tinentibus dando illis possessionem actiulū; non
item iurisdictionem ad soluendum & ligandū: quia
nemo dat, quod non habet.

L 4 CAP.